

www.e-rara.ch

**Christo duce et auxiliante, ad theses de tabe seu phthisi
praescriptas**

Stupanus, Johann Niklaus

Basileae, anno 1586

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-7839>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CHRISTO

DUCE ET AUXILI-

ANTE, AD THESES, DE TABE SEV

Phthisi præscriptas, Clarissimorū

in celeberrima Academia Basiliensi Domi-

norum Medicorum, Præceptorumq̄ dignissi-

morum voluntate, & Præside, doctissimo U.

D. D. IOHANNE NICOLAO Stupano,

Philosopho ac Medico præstantissimo existen-

te, IACOBVS GREGORII Taxorvinus

Pannonius, exercitii gratiâ conabitur

respondere

xv. Novembris Anni partus sa-

lutiferi cl. l. lxxxvi. hora


locoq̄ deputatis.

Basileæ, typis Leonardi Ostenij


ANNO cl. l. lxxxvi.



Catalog



VIRTUTE, ERVDITIONE, ET
pietate viro præstanti, spectabiliq; domi-
no Decano, & Professori in alma Acade-
mia Pragēsi, Magistro liberalium artium,
Martino Bachacio Naumericeno: Patro-
no nec non amico suo reverenter colen-
do, propositiones suas de Phthisi Iacobus
Gregorii Taxovinus, amoris & gra-
titudinis ergo dedicat
consecratq;



QVVM IN PLERIS QVE REGIO-
nibus Tabes seu Phthisis homines miserè affli-
gat, eosdemq; non rarò ad sepulchrum, magnâ aliorum
cum admiratione, & commiseratione, soleat comitari:
necessarium & vtile est, vt eius naturam
& curationem inquiramus atque
cognoscamus.

THESES PRIMA.

PHthisis morbus, Græcis $\delta\alpha\tau\omicron$ $\tau\omicron$ ϕ θ ν ν ϵ ν ν , id est, à cor-
ruptione dicitur: quòd corpus phthisicorum pau-
latim corrumpatur consumaturq;: Latinis verò Tabes
à verbo tabesco: quia sensim.ii, qui tali morbo labo-
rant, contabescunt, ac tandem emoriuntur.

II.

Phthisis propriè est consumptio pulmonis, & totius
corporis, siue naturalium ejus humiditatum ab vlcere
pulmonum, cum febre lenta ac parva conjuncto, quod
ferè sputum sanguinis, aut tussiculam, ex aciore de-
fluxione ortam comitatur.

III.

Impropriè verò ac generaliter sumitur phthisis etiã
pro qualibet corporis consumptione, ob virtutis seu
facultatis naturalis imbecillitatem, alimonixque defe-
ctum, aut cujusvis partis in corpore læsionē, vel quo-
que ruptionem.

IIII.

Præter alias, quas hîc brevitatis causâ omitto, phthi-
seos tres sunt, Celso teste, species. Prima ac propriè di-
cta Phthisis vlcus pulmonis, seu cõtinui solutio est. De-
inde Atrophia, quum corpus non alitur: sed de eo sem-
per decedit aliquid: nec in ipsius locum aliud subit.

Præterea Cachexia, in qua omnia corrumpuntur alimēta.

V.

Nos in hisce thesibus de recēns contractâ, ac in junioribus, & simul de perfectâ cōsummataque pulmonum phthisi, verba faciemus.

VI.

Huic morbo sunt ii præsertim obnoxii, qui calidum epar, vel etiam ventriculum, vel cor habent: & incipit plerunqve ab anno decimo octavo ad annum vicefimum quintum, prout divinus testatur Hippocrates.

VII.

Fit autem à bilioso & acri fangvine, vel etiam falsa ac putri pituita, prius in Cerebrum delatis, & tandem per arteriâ asperam in pulmones transmissis, qui noxiam & quasi venenatam quandam in cor aurâ disseminant: & spiritus nec nō caloris nativi robur seu vires debilitant & prosternunt.

VIII.

Solet nonnunquā phthisis hæmorrhoidas suppressas menstruaq; retenta, ac pleuritidem, & peripneumoniam, quæ in suppurationem versæ fuerant, subsequi. præcipuè, si curatio non satis tempestivè adhibeatur.

IX.

Interdum hic morbus est quibusdam hæreditariis, ex pravo noxiq; parentum, eodem laborantium, semine propagatus. Vnde tales etiam natura signavit. Sunt enim angusto strictoq; pectore, collo oblongo, *ασπεργώδεις*, hoc est, alati, seu eminentibus à tergo scapulis: & habent ab infirmo capite frequentes & acres atq; erodentes in pulmonem destillationes.

X.

Nonnunquam ex cōtagione trahit originem, videlicet, à conversatione cum phthifico perniciosè laboran-

rante: vel à fomite: vel alia quapiã re: tum quoq; ab animali, maximeq; à lepore marino.

XI.

Quos jam pulmonum vlcus affligit, frequente parvaq; tussi laborant: sputum sine dolore cruentum, idẽ post sordidum, aut mox verè purulentum reijciunt: puncturas quasdam in toto sentiunt thorace, & ad fauces titillationem.

XII.

Dejectiones habent alvi humidiores, & in corpore sudores crebros: vnde carnes ipsorũ extenuantur colligunturq; , & partes solidæ fiunt sicciore.

XIII.

Adest ipsis febris exigua, lenta, putris ac symptomatica, è genere febris continuæ, quotidiana, noctuq; magis quam diurno tempore eosdem affligens: quæ tandem in hecticam vbi versa fuerit, aliarum more febriam hecticarum, statim à cibo invalescit.

XIII.

Postquam pulmonis, vel arteriæ pars asperæ jam est corrosa ab acris humoribus: ramenta seu frustula quedam affectæ particule, excernuntur.

XV.

Præterea genæ livescunt, & exhausta digitorum carne, ungues curvantur, exalbidiq; & pallidi apparent: capilli, præ nimia partis siccitate, alimento exhausto defluunt: & pedes tumescunt.

XVI.

Urinæ naturalibus interdum similes, interdum oleagineæ, & fursureæ mejütur: alvi supervenit profluvium: præcordia sursum convelluntur: sitis ipsos assidua cruciat, cibiq; vrget fastidium.

XVII.

Pulsu parvo languidoq; sunt præditi, propter vitalis penè jam victæ & prostrate facultatis imbecillitatem.

XVIII.

Si fuerit vlcus in arteriæ parte annulosa, non recipit curationem: Si verò fuerit inter duos annulos, curari interdum potest.

XIX.

Quando fuerit vlcus corrosivum & saniosum altè pulmonibus infixum, cura prorsus est impossibilis.

XX.

Vlcera pulmonis, quum non sunt chronica, sed adhuc aliquid ex sanguine egrediatur cum tussi, curari possunt: antiqua verò curam respuunt.

XXI.

Quando phthistici sputum carbonibus injectū graviter foetet, perniciosum est.

XXII.

Et si sputū in vas aliquod, vbi est aqua calida, cōi jectur, ad fundumq; subsideat, præcipuè si, quod spumeū est aut phlegmaticū, virgula se junxeris, malū est signū.

XXIII.

Quum verò mors jam appropinquat, capilli defluunt, adest prostratus appetitus, anhelitūs difficultas, retentio sputi, ventrisq; fluxus.

XXIV.

Cura Phthisis duplex est, vera nempe, & mēdosa seu blanditiva: Verā possumus vti in juniorib. vlcere nondum pulmonis substantiam erodente, sed tantum carnē arteriæ asperę particulā: Blanditivā aut in phthificis etiam desperatis, si cogat necessitas, licet eos omninò curare non possimus.

XXV.

Negotium curationis in his potissimū consistit: vt fluxionem avertamus & sistamus, quę in pulmones irruit, vlcusq; fovet erodendo, & tussim excitādo: Tum, ut exulcerato pulmoni consulamus.

XXVI.

Primum itaq; erit vtendum venę sectione, si febris adfit, & peccet sanguis; tussiq; expellatur. Item cucurbitulis cervici admotis, Errhinis, frictionibus, vinculis, facculis, humores in capite nocivos siccantibus, suffitibus, & aliis similibus, Catarrhum sistentibus & avertentibus.

XXVII.

Aer deligatur ad siccum vergens in frigore & calore temperatus, modò ne quid aliud obsistat: Si verò febris phthifici prepotēs sit, videaturq; ægrotus emaciatus, aer frigidus & humectans eligi debet.

XXVIII.

Longa navigatio, si vires tulerint, ac cœli mutatio, Phthificis multum prodest.

XXIX.

Somnus nocturnus mediocrem nonnihil excedēs, & exercitia moderata, qualis est gestatio mollis, vel lenta ambulatio, si febris non adfit, aut etiam leves ante cibum frictiones, haud parum phthificis conducunt.

XXX.

Alvus ipsorum, servata nature & horarum consuetudine, sit lenis, non admodum cita, neq; laxa.

XXXI.

Abstineant ab ira, tristitia, aliisq; vehementibus animi affectibus, tum à gravibus arduisq; negotiis, Venere, & omnibus ijs, quę animum sollicitare, & corpus debilitare possent, seduloq; vitent cruditatem.

XXXII.

Cibi ipsorum sint boni, coctu faciles, & multi ac diuturni alimenti: vt corpus emaciatum instaurent.

XXXIII.

Praterà sint liquidę sorbitiones, & nonnihil febrē, si adfit, refrigerantes, & saniem ab ulcere detergentes,

vt sunt ex ptisanâ, alicâ, orizâ, lacte adjecto.

XXXIV.

Carnes vitulorum, hædorum castratorum, gallinarum, caponum & pullorum contuse, & amarę amygdalæ, phthificis multum profunt.

XXXV.

Conferunt ipsis quoq; limaces, seu Cochleę terrestres, testudines nemorales, & ex his aqua destillata.

XXXVI.

Ex oleribus, lactucâ, portulacâ, Endiviâ, Cichorio, foliis Rubi, Lentisci, Salicis, Vitiumq; si vescatur, vlceri glutinando non parum inservient.

XXXVII.

Lacte asinino & caprino benè preparato sæpius uti poterunt. Nam lac sui serositate abstergit, & mundificat saniem: qualitate verò casei, vlceri consolidat: & butyri substantiâ nutrit. Vini vsus ipsis, quia præstat eadem, conceditur, si tamen febris permittat.

XXXVIII.

Si verò validâ tabidi febre corripiantur, vel adsit alvi profluvium, ructus acidus, aut inflammata hypochondria, vel ea scyrrhosa aut obstructa, esum lactis vitabunt: & utentur potu cœlestis aquæ, aut mulsâ inde confecta, aut hordeata, cui radix Glycyrrhizæ fuerit addita.

XXXIX.

Conducit quoq; phthificis cancri fluviatiles, & ficus sicca, mel simplex, oxymel, hydromel. (Teste enim Hipocrate in regimine acutorum, Mel est optimû vehiculum medicinarum pectoralium abstersivum.) pineæ, passilæ, amygdalæ mundatæ, jujubę, Sebesten, Saccharum rosatum, Syrupus de Hysopo, si tamen ejus vsus necessitas requirat.

Quòd

XL.

Quòd si calor eos premat, vtantur Tragacátho frigidò, aut Trochiscis de Camphora, capillorū Veneris syrupo, vel papaveris albi, vel aliis non dissimilibus.

XLI.

Vlceri abstergendo, præter mulsam, conuenit decoctum Iridis, Hyssopi, Caricarū. Vbi verò fuerit abstersū, danda sunt glutinātia, utpotè, bolus Armenus, sanguis Draconis, succinum, Corallium, & semen portulacæ.

XLII.

Pro ulceris exsiccatione, non vehemēte febris existēte, poterit per intervalla Mithridatium, aut tale quiddam aliud exhiberi.

XLIII.

Extrinsicis emplastra de lini semine, fœnugræci, & aliis, aut cataplasmata ex Althææ foliis, tenuissimo polline, oleo ac melle mixtis applicētur. Deinde Cetatibus ex butyro, oleo laurino, utendum est.

XLIV.

Tempore autē repurgationis, Epithematum ex Terebinthina, Oleo Cyprino, butyro, & medulla Cervina, adipe taurino, Iridisq; farina & Oesypo confectorum, usus esse debet.

XLV.

Quum verò cicatrix obducitur, Oleum Myrtinum aut rosaceum extrinsicis thoraci inungendum, adjectis interim Acacia, Malicorio, Alumine, Hypocistide, galla ac Obsoniorum Rhoe.

XLVI.

Denique intrò assumi possunt Eclegmata ex vulpis pulmone, vel de pino, cum melle rosato, vel syrupo de Glycyrrhiza. Item Saccharum rosatum antiquum.

XLVII.

Insuper conditum ex conserva Capil. Veneris cum pul-

pulvere Symphyti, Lohoch de pulmone vulpis, Lohoch sanum & expertum.

XLVIII.

Adhæc terra Lemnia, bolus Armenus, Conserva rosarum, Syrupus rosatus, Terebinthina, & alia, partim à me superius recensita, partim verò in practicorum libris comprehensa.

XLIX.

Postremò, quemadmodum in aliis quibusdam morbis, ita in hoc exulceratissimo, penèq; desperato, quies pthificis plurimùm debet esse cõmendata. Galenus enim inquit: *Quiete opus est; si quid rectè sanari velimus.*

